

## **Cartulaire manceau de Marmoutier, Tome Second, Vivoin, Nr. 10**

Lucius, episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Herveo abbati et monachis Majoris monasterii salutem et apostolicam benedictionem. Quanto studiosius observantiae insistis regulari et specialius monasterium vestrum beati Petri juris existit, tanto facilius justas petitiones vestras admittimus et profectibus atque commodis efficacius debemus ac volumus providere. Ea propter petitionibus vestris gratum praebentes assensum, quaecumque vobis venerabilis frater noster Cenomanensis episcopus canonice contulit et scripti sui munimine confirmavit, sicut ea pacifice possidetis, vobis et jam dicto monasterio auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus, statuentes ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Anagnie, IIII nonas octobris.